



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KATSINENSIS-ALENSIS*** IN NIGERIA NOVA CONDITUR DIOECESIS KATSINENSIS-ALENSIS Fidem intuentes christifidelium Nigerianorum, libenti animo perceperimus postulatam, ad aeternam hominum salutem ac Dominici gregis regimini facilius et efficacius consulendum, ut dioecesis Makurdensis in Nigeria divideretur. Quamobrem, praehabito favorabili voto quorum interest, audita sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Nos de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis quae sequuntur decernimus: a dioecesi Makurdensi seiungimus civiles regiones vulgo dictas « Local Government Areas », id est *Katsina-Ala, Logo et Ukam*, atque ex ita distracto territorio novam dioecesim constituimus *Katsinensem-Alensem* appellandam, iisdem circumscriptam finibus quibus praefatae civiles regiones ad praesens terminantur. Huius novae ditionis sedem in urbe vulgo appellata *Katsina-Ala* statuimus ac templum ibidem Deo dicatum in honorem sancti Gerardi Majella ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evehimus. Novam hanc dioecesanam communitatem suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Abugensis. Cetera ad normam iuris canonici expediantur. Ad haec Nostra mandata exsequenda destinamus Venerabilem Fratrem Augustinum Kasujja, Archiepiscopum titulo Caesariensem in Numidia atque Nuntium Apostolicum in Nigeria, omnes necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere iniuncto ad memoratam Congregationem authenticum exemplar actus eiusdem peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet minime obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.* Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. CV (2013), n. 2, pp. 127-128. © Copyright 2012 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana